

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0963

0961

0967

0957

0972

0952

1012

0912

1062

0862

0462

Ende

Anfang

390

terribilem. Et Eccles. VI.: Lignum aridum in eremo, venatio  
leonis et onagri in eremo. Et Psalmus desertum nominat  
erenum. Dominus interrupt petram in eremo. Et Exodi III.  
dixit Dominus Moysi: Locus, in quo stas, terra sancta est.  
Et mons Oreb frequenter nominatur mons Domini.

Dicitur etiam desertum terra salsuginis et terra mannatis,  
terra faunorum et satyrorum a poetis. Ex quibus omnibus  
venari possumus solitudinis illius et terrae conditiones et pro-  
prietates, tam in malo quam in bono.

### Conditiones deserti vel eremi.

Primo regio illa dicitur desertum a deserendo, quia  
deserta esse videtur quodammodo a Deo, a coelo et a mundo.  
A Deo quidem, quia vacua et inanis est, quasi Deus ea uti  
vellet ad universi meliorationem vel decorem. A coelo etiam  
deserta est haec regio, caret enim coeli utili influentia et  
quasi iracundo stellarum aspectu atteritur et ferrea redditur,  
dum coelum desuper immite et sine clementia aeneum videatur.  
Deserta est etiam regio haec ex consequenti ab hominibus,  
qui ab ea tamquam a re inutili se abstrahunt. Secundo dici-  
tur haec regio eremus, ab adhaerendo per oppositum, pro eo,  
quod nemo illi terrae adhaeret, propter defectum boni delica-  
bilis. Nam rebus delicabilibus adhaerent homines, sed quia  
ibi nihil delectabile invenitur, nemo ibi haeret. Vel dicitur  
ab adhaerendo propter terrae duritiam, quae nimis fortiter  
sibi ipsi adhaeret, ita, quod nec ligouibus nec rastris nec  
ferramentis potest sulcari.

Tertio dicitur regio haec solitudo, quia sola est nec  
frequentiam hominum habet. Sola etiam est, quia nulla regio  
circumjacens cum terra illa cupit habere conformitatem aut  
confoederationem. Dicitur autem saepe in Scriptura solitudo  
vastissima, quia nullo modo culturae est apta. Ideo dicebant  
filii Israel murmurantes, utinam mortui essemus in Aegypto,  
et non in hac vasta solitudine, Num. XIV. Dicitur etiam  
solitudo magna, longissima et latissima in Scriptura. In multis  
enim partibus adeo magna, longa et lata est, quod pertransiri  
non potest, nec reperitur homo, qui fines ejus contra orientem

